

gros libros scripsit *Johannes Vorstius*, sub titulo *Philologia sacra*, qua, quicquid Hebraismorum in toto N. T. reperitur, pene omne recensetur.

§. 13. Præterea id etiam observandum est de Græca lingua N. T. quod eidem quandoque intermixta sit Chaldaica seu Syriaca loquendi ratio, vel quod idem in lingua Græca N. T. occurrere interdum Chaldaeo-Syriasmos. e. g. Quod mortui in N. T. dicantur *νεκροκλιμένοι* dormientes *1. Thes. 4. 13.* ob spem resurrectionis, id Syriacæ linguæ debetur, eique proprium est, quæ dormientes pro mortuis usurpat. Similiter quod *cælum* ponitur pro Deo Syriacum est vel Chaldaicum, hoc fit à *Matth. c. 21. 25.* ubi Christus quærit: Baptismus Johannis unde erat, à *cælo*, an ab hominibus, i. e. à Deo, an ab hominibus? Sic in oratione Dominica: remitte nobis *ὀφείλημα*, debita nostra, phrasis *dimittere debita*, Syriacæ linguæ debetur, neque alias Ebræa est, nec Græca, nec Latina, & idem est ac *delicta condonare*.

§. 14. Notitia linguæ Græcæ requiritur etiam à futuro Ecclesiæ ministro propter versionem Græcam V. T. quæ nomine LXX. interpretum citari solet. Notanter dico: citari solet sub nomine LXX. Interpretum: revera enim hodierna versio Græca V. T. non est illa, quam ad petitionem Ptolomæi Philadelphi celebres illi LXX. seniores ex populo Israelitico adornarunt. Illa enim vel ex toto, vel ex parte periit, vel multis in locis corrupta est, adeò, ut hodierna pro illa antiqua haberi non possit. Vid. *Notting. Thes. Philol. I. 1. Sect: 3. qu. 1. Leusd. Philol. Hebræo-mixta dissert. 4.* Quæcunque tandem sit versio Græca veteris Test. (plures enim prodierunt, Theodot. Symmachi, Aquilæ &c.) si uti ea velit, opus est notitia linguæ Græcæ.

§. 15. Si futurus Ecclesiæ minister addere voluerit etiam cognitionem Linguæ Syriacæ, non sine fructu id faciet. Ad-
hideri